DE ECCLESIASTICA DISCIPLINA DECRETA ET MONITA EPISCOPI MONTISREGALIS...


Giovanni Tommaso Ghilardi

DE

ECCLESIASTICA DISCIPLINA

DECRETA ET MONITA

EPISCOPI MONTISREGALIS



FR. IOANNES THOMAS GHILARDI

ORDINIS PRAEDICATORUM

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS MONREGALENSIS ET COMES

PRAELATUS DOMESTICUS S. S., SOLIO PONTIFICIO ASSISTENS
ABBAS COMMENDATARIUS PERPETUUS S. DALMATII

VENERABILI CLERO CIVITATIS ET DIOECESIS.

Ex quo ad regimen illustris huius Monregalensis Dioecesis Dei providentia evecti sumus, venerabilis Clerus iucundissima Nobis semper fuit corona, verum gaudium et maxima consolatio, postremis praesertim hisce temporibus non levis discriminis iis omnibus, qui Iesu Christi vestigia sequuntur. Quapropter Nos a generalibus decretis (perpaucis exceptis) edendis, quod ad ecclesiasticam disciplinam, consulto hactenus abstinuimus, ea mandata satis esse putantes quibus pro variis et rerum et temporum adiunctis Nostrae Dioecesi consulere studebamus.

Quum tamen mutatae temporum rationes plus aequo in accuratam ecclesiasticae disciplinae custodiam vim aliquam

exercere queant, Nostri Pastoralis officii esse credidimus sapientibus Nostrorum Antecessorum Constitutionibus quaedam addere, tum ad eandem tuendam disciplinam, tum ad impediendum quominus abusus, qui iam in nonnullis locis irrepserunt, ulterius propagentur.

Dum ergo Synodi celebratione pro rebus et temporibus plenius in posterum prospiciemus, nunc, post ea quae sive una cum Venerabilibus Episcopis Comprovincialibus Nostris, per Epistolam pastoralem sub die 28 iulii 1849, sive in conventu Parochorum in aedibus Venerandi huius Seminarii, anno nuper elapso, habito, monuimus, invocato Dei auxilio, sequentia edere decreta constituimus.

§ I.

Confirmamus inprimum synodales optimi praedecessoris Nostri Michaëlis Casati Constitutiones quas ille edidit annis 1763 et 1777, earumque plenam religiosamque observationem edicimus, onere adiecto:

1.° Capitulis tum Ecclesiae Cathedralis, tum Collegiatarum Ecclesiarum, intra mensem, una aut pluribus vicibus perlegendi capita *de vita et honestate Clericorum, de sacrificio Missae, de Capitulo et Canonicis,* nec non viginti capita synodalia Episcopi Antonii Castruccio, quae, ex Dioecesana Synodo, a Canonicis sunt accurate implenda, ac dein communi deliberatione factas animadversiones ad Nos transmittendi.

2.° Parochis intra idem temporis spatium cogendi Ecclesiarum succursalium Rectores, Cappellanos, aliosque Sacerdotes paroeciae addictos, iisdemque in unum collectis, eadem capita *de vita et honestate Clericorum*, et *de sacrificio Missae,* legendi, adiecto capite *de Sacerdotibus viculorum sacellis addictis,* indeque factas observationes ad Nos pariter transmittendi.

3.° Vicariis Foraneis et Parochis intra trium mensium spatium Nobis patefaciendi, quae iam synodalium Consti-

tutionum partes non observentur, quibus de caussis in desuetudinem abierint, et utrum, nec ne expediat easdem renovare; elapso tempore praestituto rationem Nobis reddent qui commissum officium brevi non impleant.

§ II.

Quum habitus ecclesiasticus ordini et status dignitati congruere quam maxime intersit, ideo Nos facultati inhaerentes a S. Canonibus, et praesertim a S. Tridentino Concilio Episcopis concessae Clericorum dioecesis formam habitus constituendi, ne in Nostro Clero tot et tam varii vestium usurpentur modi, qui a laicis quotidie excogitantur, quibusque Clerici risum haud raro movent, haec decernere cogitavimus (1).

1.° Habitus ecclesiastici nomine, quem singuli Clerici induere debent, vestem talarem, galeum triangulare et collare ex lino albo more ecclesiasticorum (2) intelligimus; huic habitui tempore aestivo palliolum vulgo *mantellina* in civitatibus, aliisque saltem locis, quibus aedes ita sunt iunctae, ut regulares efformentur vici, addetur; hyemali vero tempore pallium nigri coloris, nec nimium eleganti collari distinctum, nec manicatum, prout penes plerosque Clericos est in usu.

2.° Dum magnopere illos Ecclesiasticos commendamus qui vestem talarem nunquam exuunt, quosque ab aliis imitari vehementer optaremus, in civitatibus praesertim et locis frequentioribus dioecesis, permittimus nihilominus ut brevior habitus vulgo *fracco* indui valeat, dummodo nigri sit coloris et ultra genua haud parum demissus; in ecclesiasticis vero functionibus semper exuatur, nec festis diebus eodem uti liceat, praeterquam extra civitates, et officiis omnibus in parochiali Ecclesia absolutis. Omni autem studio illum commendamus, qui penes Nos nuncupatur *fracco all'apostolica* (fortasse quia hic solus a Concilio Rom. permissus fuit), quique a parte anteriori unica clauditur

globulorum serie, iamque in usu est penes nonnullos graves Ecclesiasticos huius dioecesis.

3.° Vetamus ne palam in civitatibus locisque frequentioribus Clerici prodeant habitu induti vulgo nuncupato *paletot,* vel alio habitu breviori peris a lateribus instructo, qui parum differt a primo, quamquam permittimus, ut qui huiusmodi habitus iam sibi quaesiverunt, eos privatim et itineris occasione conterant, ita tamen ut eosdem, vix ac ad locum, quo tendunt, pervenerint, illico deponant.

4.° Haec eadem de palliis manicatis vulgo *chiri* intelligi exoptaremus. Horum autem usum absolute interdicimus, quemadmodum et pilei in funeribus et sepulturis, in quibus Clerici procedere debent capite byreto sacerdotali cooperto, utut hyemali tempore a pallio iisdem permittendo non simus alieni.

5.° Nec Nobis se probat usus, quem nuper invexere nonnulli, calceorum e panno, utpote quod a gravitate ecclesiastica et a spiritu mortificationis et poenitentiae, qui ab ipsa clericalis habitus forma et colore designatur, est maxime alienum; si quis tamen huiusmodi iam sibi calceamenta paraverit, iisdem liceat uti, dummodo semel monuisse sufficiat, ne in posterum ad eadem reverti cogamur (3).

6.° Vetamus Sacerdotibus omnibus, et Clericis tonsura insignitis, ne barbam sub tempora vulgo *sciantiglioni* colant, nec crines ita excrescere sinant, ut nimium promissi frontem auresque tegant, tum etiam ne coma adscititia utantur, casu necessitatis excepto, et debita venia intercedente (4).

§ III.

1.° Pro viribus, et quidem in visceribus D. N. Iesu Christi, omnes venerabiles Sacerdotes exhortamur et obtestamur, ut eo maiori, quo fieri potest, fervore Missam celebrent, debitam praemittant praeparationem, in eaque

saltem per horae quadrantem perseverent, nec ab Ecclesia exeant, quin per aequale temporis spatium in gratiarum actione fuerint versati; iisdem recessum, sacrarum scientiarum studium assiduum, horarum canonicarum devotam recitationem, orationis mentalis, lectionis spiritualis, ac visitationis SS. Sacramenti quotidianum exercitium, utpote quae ad propriam et aliorum sanctificationem obtinendam sunt potiora, omni quoque studio commendamus.

2.° Rectores Ecclesiarum, quorum conscientiam oneramus, Sacerdotes qui in Missae celebratione tertiam saltem horae partem non impendent (5), (quum iuxta Synodum dioecesanum non sit infra quadrantem cum dimidio contrahenda), primum moneant, sique relabantur, Nobis directo denuntient. Quod quidem intelligatur et de iis, qui praescriptam praeparationem aut gratiarum actionem omittant.

3.° Qui vero, quod Deus avertat, Missae celebrationem infra horae quadrantem contraheret, ne excepta quidem Missa *de requiem*, suspensioni *a divinis* Nobis reservatae erit *ipso facto* obnoxius (6).

4.° Eandem suspensionis poenam *ipso facto* pariter incurret Sacerdos, qui Missam sine patenti tonsura celebrare non dubitaverit (7), vel sacrificium offerre sine veste talari, aut saltem sine *Epitogio*, nigra nempe tunica, non manicata, quae ab humeris usque ad talos producitur (8).

5.° Ad harum vestium vulgo *epitoggi* comparationem quod attinet, quae in Synodi dioecesanae capite 8, n. 6 sunt opportune constituta renovamus, eorumque executionem Rectorum Ecclesiarum parochialium nec non Sacellorum ruralium religioni committimus, facta etiam iisdem facultate eas vestes, quas indecoras repererint, interdicto subiiciendi.

6.° Maximo ardore ac studio omnes Sacerdotes exhortamur ut semel saltem in singulas hebdomadas exhomologesim faciant; eos vero, qui per integrum mensem huic

obligationi non satisfecerint, a Missae celebratione diebus profestis ipso facto prohibemus, ita tamen, ut haec prohibitio cesset cum primum impleverint officium (9).

§ IV.

1.° Animarum Rectoribus nunquam ex animo gravissima obligatio decidat, qua commissum populum singulis saltem festis diebus verbi divini pabulo enutrire tenentur, iuxta Tridentinae Synodi sanctionem, quam etiam urgent Constitutiones Synodales dioecesanae his verbis: *nec ulla anni parte sanctissimum hoc et plane divinum ministerium praetermittatur*. Contrariam consuetudinem, si alicubi invaluerit, tamquam abusum improbamus.

2.° Interea singulis Parochis, et Ecclesiarum succursalium Rectoribus praecipimus, ut intra mensem, postquam horum decretorum exemplar acceperint, sibi librum decenter concinnatum comparent, cui haec inscriptio apponetur: *Codex parochialis praedicationis*. In hoc adnotentur singulae institutiones, quae circa aliquod Christianae doctrinae caput ad populum habentur, additis die et argumento, quaeque in explanatione Evangelii intra Missam parochialem versantur, nec non alii omnes sacri sermones, quos in Ecclesia sive per se, sive per alios recitari contigerit. Hic codex Episcopo erit exhibendus toties quoties ab eo expostulabitur, et etiam singulis annis occasione Pastoralis visitationis sive eidem Episcopo, sive alteri, cui hoc fuerit officium commissum.

3.° Qui mensem praeterlabi siverit, quin mandato obtemperaverit adnotandi praedicationis argumenta, iuxta constituta in numero praecedenti, *ipso facto* facultate absolvendi a peccatis Nobis reservatis, aliisque facultatibus omnibus extraordinariis, quas a Nobis impetraverit, carebit; hae tamen reviviscent quum se dictae praescriptioni accommodaverit.

4.° Sacerdotes qui ex peculiari officio ad deserviendum in certa Ecclesia non adstringuntur, sciant Ecclesiae parochialis aut subsidiariae illius eiusdem loci in quo sedes firmaverint, servitio Nostra voluntate esse addictos, proindeque teneri, iuxta generalia decreta, pueros in Catechesibus instituere, parochialibus functionibus talari veste et superpelliceo indutos adesse, nec non in Sacramentorum administratione operam praestare, etiamsi a Parochis haud requirantur (10).

5.° Id etiam oneris Parochorum conscientiae imponimus ut eos Nobis denuntient, qui intra 20 dierum spatium huic praescriptioni non paruerint, et iam nunc declaramus, praeter alias poenas ex Nostra voluntate constituendas, haudquaquam fore, ut refractarii concessionem aut prorogationem a Nobis obtineant facultatis poenitentiae Sacramentum administrandi.

§. V.

Poenae suspensionis *a Divinis* Nobis reservatae *ipso facto* erunt obnoxii:

1.° Sacerdotes, ut ut dumtaxat ad tempus in Nostra dioecesi commorantes, qui post elapsos quindecim dies ab horum decretorum promulgatione in publicum prodierint tum in locis in quibus sedem habent, tum in aliis intra dioecesim, vestibus induti laicorum more, usurpantes scilicet vel pileum orbiculatum, vel linteam, aut, nisi causa valetudinis, sericam fasciam loco collaris, vel foemoralia oblongata, vulgo *pantaloni.*

2.° Sacerdotes qui spectaculis scenicis interfuerint in theatris, aliisve profanis spectaculis, aut ludis, quae a ioculatoribus, funambulis, eiusdemque generis circulatoribus in locis septis habentur; vel choreas duxerint, aut iisdem sive publicis, sive privatis operam dederint (11).

3.° Sacerdotes, qui aut ipsi ludere, aut ludentibus spectatores se adiungere non erubuerint in cauponis, in potio-

num officinis (*Caffè*), in quibuscumque tabernis, aliisque locis ad quae laici convenire consuescunt ad ludendum aut ad legendas ephemerides; tum etiam ii qui in huiusmodi locis ephemeridum vetitarum lectioni incubuerint; tum demum qui ludis cuiuscumque generis in publicis plateis ac viis, aliisque locis populo frequentibus indulserint (12).

4.° Sacerdotes, qui operam venationi dederint, nisi civilibus hac de re legibus se se accommodaverint, a Nobis insuper impetrata venia, quam tamen Nos non dabimus nisi vel de eo venationis genere agatur quod sine igneis balistis exercetur, vel ea conditione ut in loco clauso aedibus contiguo eidem indulgeri dumtaxat possit (13).

5.° Sacerdotes, qui, Nobis inconsultis, in proprias aedes iure cohabitationis (14) mulieres nec consanguinitate, nec affinitate devinctas receperint. Quo in loco monendum, cum iis tantum, quae primo aut secundo consanguinitatis aut affinitatis gradu sunt coniunctae, Sacerdotibus cohabitationem licitam esse; nam si de aliis in remotioribus gradibus constitutis agatur, nisi aut quadragesimum annum attigerint, aut venia Nostra intercesserit, suspensionis poena afficientur. Quam poenam pariter non effugient, qui, venia a Nobis non impetrata, mensa aut contubernio ultra hebdomadam usi fuerint in familiis non consanguineis, nec affinibus, in quibus mulieres adsint infra quadragesimum annum constitutae.

6.° Sacerdotes, qui, post dies triginta ab horum decretorum promulgatione, se, ad ancillarum aetatem quod spectat, Dioecesanae Synodi praescriptioni non accommodaverint (15), debitam a Nobis in scriptis veniam impetrando, aut iam impetratam renovando.

Quod tamen non concedemus, nisi vel cum Sacerdote habitent consanguinei, aut affines in primo vel secundo gradu, vel iustae ac probabiles causae Nos impellant.

Si qui vero in hisce rerum, de quibus supra diximus versabitur adiunctis, et hanc a nobis facultatem obtinere

exoptabit, ad Nos deferat vel proprii parochi, vel vicarii foranei, si de parocho agatur, testimonium ex quo constet famulam iam conductam, aut conducendam, probatissimis esse moribus. Huic insuper authenticum aliud baptismi testimonium coniungatur.

Rectoribus Ecclesiarum, etiam regularibus, *sub obedientiae praecepto* vetamus, ne ad missae celebrationem admittant: 1.° Sacerdotes qui constitutionem latam sub num. 4. § III. perfringant; 2.° Sacerdotes tum extraneos tum dioecesanos alibi domicilium habentes, sive saeculares, sive regulares, qui litteris commendatitiis a proprio Ordinario, aut Superiore relatis non sint muniti, nisi fortasse iidem rectores eos probe noverint, atque habeant ut benemoratos Ecclesiasticos, nec in suspicionem adducantur aliqua censura eos esse irretitos; 3.° Sacerdotes sive extraneos, sive etiam dioecesanos, extra dioecesim tamen commorantes, qui post secundam diem, si in hac civitate, et post quintam, si in aliis dioecesis locis, per rectores eosdem a Nobis, aut a Nostro Vicario Generali facultatem celebrandi non obtinuerint.

§. VI.

Suspensionem a celebratione missae ad quinque dies profestos continuos producendam, Nobis tamen non reservatam, *ipso facto* incurrent (16):

1.° Sacerdotes qui aleae operam dabunt, ludis praesertim qui *di pura sorte* appellantur, uti *bassetta*, et similibus. Permittimus nihilominus ludos sortis *lotterie* vulgo nuncupatos, illo excepto, qui lingua vernacula appellatur *giuoco di Genova* (17).

2.° Sacerdotes, qui, licito ludo indulgentes in locis non publicis, talem pecuniae summam exponent, ut a meridie ad meridiem libellas duas amittant, aut aliud quidpiam aequalis pretii; tum etiam qui in ludo intra idem temporis spatium ultra duas horas et dimidium versabuntur. Quod

si in ludo nec pecunia, nec aliud quod pecunia aestimari possit, intercedat, ludens hoc interdicto non subiiciatur (18).

3.º Sacerdotes, qui puellas decimo aetatis anno maiores, nec consanguinitatis aut affinitatis foedere in 1.º aut 2.º gradu coniunctas, in litteris, arithmetica, musicalibus instrumentis, cantu et similibus instituent, quin veniam a Nobis intra octiduum obtinuerint (19). Ab huiusmodi tamen constitutione eximimus eos, qui, mandato a civili auctoritate accepto, ex officio in publicis scholis puellas edocent.

4.º Sacerdotes, qui, contra constituta in decreto a Nobis edito sub die 1.ª ianuarii 1850, officium Vice-Curati, Magistri aut Cappellani sine Nostro consensu obtinuissent, nec intra viginti dierum spatium, a promulgatione horum decretorum, litteras patentes a Curia Nostra retulerint.

5.º Sacerdotes, qui absque Nostra facultate illis societatibus aut conventibus nomen dabunt, in quibus ut plurimum libri aut ephemerides ab Ecclesia vetiti leguntur; qui vero ad huiusmodi societates iam pertinent, a Nobis pariter veniam obtinere debebunt.

6.º Sacerdotes, qui ad eiusdem, in quo habitant, loci cauponas, potionum officinas, aliasque publicas tabernas, comessationis aut compotationis gratia divertent (20), sequentibus exceptis casibus: 1.º verae necessitatis, quae legibus non sit obnoxia; 2.º illius, qui ab itinere ad proprias aedes reversus, casu fortuito necessaria ibi refectione careat; 3.º illius qui ad comedendum vel bibendum in publicis istiusmodi locis a viro illustri, multaeque auctoritatis, nec non iter facienti fuerit invitatus; 4.º demum illius quem aliquoties consanguinei aut affines in 1.º aut 2.º gradu apud se invitaverint.

Exhortamur, atque in Domino obtestamur sacerdotes, ne extra veram necessitatem nundinas et mercatus adeant, et potissimum ne in itinere famulas aut alias mulieres so-

cias habeant. Ad mercaturam demum et negotiationem quod attinet, peculiari modo renovamus quae haud immerito sunt constituta, tum in synodi dioecesanae capite 15. n. 19. et 20., tum in eiusdem appendice.

Haec porro sunt decreta et monita, quae post multas orationes et habitas consultationes, innixi s. canonibus, pluribusque synodalibus Constitutionibus, in praesentibus rerum ac temporum adiunctis, condere Nostri pastoralis officii esse iudicavimus: et spe ducimur venerabiles sacerdotes, quos summa benevolentia complectimur, haud dubium Nobis praebituros argumentum illius docilitatis ac obedientiae, quam singuli, quum sacros ordines susceperunt, solemniter polliciti sunt, quamque hactenus maxima Nostra consolatione experti sumus, potissimum quod pleraque haec Nostra decreta non sint nova in hac dioecesi, sed iam in Nostrorum antecessorum synodis contineantur (21).

Quod si nonnullis haec, quae praecipimus, graviora viderentur, hos Nos obstestamur, ut ad pedes Iesu Christi crucifixi provoluti nobiscum animo reputent, christianorum procul dubio peccatis esse tribuendum, si catholica familia, divina iustitia plagis affecta, et nunc ingemiscit, quum scriptum sit: *propter peccata veniunt adversa*. Quapropter et nos cum magno Grisostomo confiteri debemus, Deum etiam adversus nos esse ira accensum: *quanto autem mundus gladio feriatur, aspicitis, quibus quotidie percussionibus intereat populus videtis. Cuius hoc, nisi nostro praecipue peccato agitur?* nec dubitare possumus quin haec sit caussa, propter quam, hodiernis temporibus Ecclesiae Ministri in tantam despectionem devenerint, iuxta Evangelicas minas: *Si sal infatuatum fuerit.... ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus.*

Quum ergo nos inter Deum iratum et homines rebelles, mediatoris officio fungi debeamus, nostrae primum correctioni studendum est, ut Deo nostrae sint deprecationes

acceptae, et eum rite placare possimus, et sic illius verbo, et exemplo nostro christianam familiam ad divinam sibi misericordiam conciliandam excitare.

Hanc viam semper secuta est Ecclesia, publicis urgentibus calamitatibus; semper nimirum a correctione morum est exorsa, prout nobis testantur, ut silentio caetera praetereamus, Concilium Tridentinum, synodales constitutiones S. Caroli Borromaei, ac statuta disciplinaria Ecclesiarum Galliae ac Sabaudiae, et etiam Italiae nonnulla, post terribilem rerum omnium elapsi saeculi perturbationem.

Porro Tridentini Patres hac de re conceptissimis ac adeo gravibus verbis sunt locuti, ut contrariae consuetudinis praetextus omnes, quos in medium afferre quis posset, omnino tollant, nec non trepidationem in Ecclesiae Praelatos iniiciant, qui Cleri reformationi manum admovere recusaverint. « Statuit Sancta Synodus, ut quae alias » a Summis Pontificibus et a Sacris Conciliis de clerico» rum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac » simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus » ac quibuscumque criminibus, nec non saecularibus ne» gotiis fugiendis copiose ac salubriter sancita fuerunt, » eadem in posterum eisdem poenis, vel maioribus, arbi» trio Ordinarii imponendis, observentur, nec appellatio » executionem hanc, quae ad morum correctionem pertinet, » suspendat. Si qua vero ex his in desuetudinem abiisse » compererint, ea quamprimum in usum revocari, et ab » omnibus accurate custodiri studeant, non obstantibus » consuetudinibus quibuscumque, ne subditorum negle» ctae emendationis, ipsi condignas, Deo vindice, poenas » persolvant ».

Quae cum ita sint, neminem ex Clero Nostro futurum esse confidimus, qui murmurationibus indulgeat, sed potius in hisce Constitutionibus voluntatem illius divini Spiritus recognoscat, qui posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Quod si de hac re quis conqueratur, non dubi-

tamus quin illico a confratribus eidem ob oculos ponenda sint, quae s. Litterae in iisdem rerum adiunctis ad fidelium memoriam revocant, nimirum: « Qui quaerit legem,
» replebitur ab ea; qui insidiose agit, scandalizabitur in
» ea (22): qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit;
» qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.
» Obedite ergo praepositis vestris et subiacete eis: ipsi
» enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris
» reddituri, ut cum gaudio hoc faciant non gementes, hoc
» enim expedit vobis (23).

Mandamus singulis Parochis ut haec Nostra Decreta, postquam eorumdem exemplaria acceperint, singulis propriae Parochiae Ecclesiasticis, inter octiduum, distribuant. Volumus insuper Nos per litteras certiores faciant huic mandato obtemperasse. Iis vero, qui ad Clerum huic Ecclesiae Cathedrali addictum pertinent, exemplar quoque sub involucro, et obsignatum, per Curiae Nostrae Episcopalis apparitorem distribuemus. Proximo autem insequenti die post horum decretorum distributionem, iisdem censemus esse omnes adstrictos, quin ullus praetextus, etiam non accepti exemplaris, quempiam ab eorundem observatione solvere valeat.

Monteregali die 8 Decembris 1853.

✠ Fr. IOANNES THOMAS Episcopus.

Viara *Procancellarius.*

290

NOTAE

(1) « Quia vero, etsi habitus non faciat monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant; tanta autem hodie aliquorum inolevit temeritas religionisque contemptus, ut propriam dignitatem, et honorem clericalem parvi pendentes, vestes etiam publice deferant laicales, pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus; propterea omnes ecclesiasticae personae, quantumcumque exemptae, quae aut in sacris fuerint, aut dignitates, personatus, officia, aut beneficia qualiacumque ecclesiastica obtinuerint, si postea quam ab Episcopo suo, etiam per edictum publicum, moniti fuerint, honestum habitum clericalem illorum ordini, ac dignitati congruentem, et *iuxta ipsius episcopi ordinationem et mandatum* non detulerint, per suspensionem ab ordinibus, ac officio, et beneficio, ac fructibus, redditibus, et proventibus ipsorum beneficiorum; nec non, si semel correpti, denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum, et beneficiorum huiusmodi coërceri possint, et debeant Constitutionem Clementis V, in Concilio Viennensi editam, quae incipit *Quoniam*, innovando et ampliando. » Conc. Trid. sess. 14 cap. 6 de reform.

(2) Synod. dioec. n. 12. cap. 15.

(3) Si quis vel levem vel nimis rigidam haberet huiusmodi praescriptionem, adire poterit tum Synodos sancti Caroli Borromaei, tum caput de vita et honestate Clericorum Synodi antecessoris Nostri Episcopi Antonii Castruccio, ibique alias eiusdem generis constitutiones reperiet. Nos aliunde Clero Nostrae dioecesis asseveramus ipsos laicos sapientes et graves hanc novitatem a Nobis proscriptam reprobare; nec notam nimiae vel levitatis vel austeritatis veremur, quum praeter auctoritates, quas supra memoravimus, Nobis praesto sit s. Ioannes Chrysostomus, qui ut simplices laicos a calceorum vanitate removeret, quae suis temporibus invalescebat, sui muneris esse existimavit eloquentis homiliae partem impendere, cuius abs re non erit sequentia referre: « Calceariam artem, donec calceos fecerit, artis nomine non privabo. — Cum autem viros in mulierum formam traduxerit, molles et effoeminatos ex calceorum forma fecerit, cum noxiis et superfluis illam locabimus. Scio me multis videri in minimis nimium immorari; neque tamen absistam. Omnium quippe malorum causa haec est, eo quod parvi illa peccata momenti esse videantur et ideo negligantur ». Homil. 49 in Matth. let. e.

(4) Synod. dioeces. n. 7, cap. 8 et n. 13, cap. 15: « Pariter statuit et mandat ne ullus Sacerdos aut sacris initiatus aut etiam Clericus primae tonsurae comam, quae frontem auresque tegat, nutriat, multo minus perucca utatur, sub poena, toties quoties transgredientur, decem scutorum illico operibus et locis piis applicandorum, nec non incarcerationis totidem

» dierum; contravenientes insuper certe sciant hanc inobedientiam illis to- » tali impedimento extituram a consecutione cuiuscumque beneficii, aut » officii ecclesiastici. » Conc. Rom. de vita et honest. Cleric. n. 2.

(5) Huiusmodi Sacerdotes in Synodo Romana scutis viginti quinque multantur. In finitima vero Cuneensi dioecesi iis, qui in missae celebratione duodeviginti minuta non impendunt, celebrandi facultas denegatur. Vide Decreta et Monita 1852.

(6) Eamdem poenam constituit S. Alphonsus de Ligorio edicto diei 28 novembris 1763.

(7) Synod. dioeces. n. 13, cap. 15.

(8) Synod. dioeces. n. 6, cap. 8.

(9) Qui hanc prohibitionem violaverint, irregulares non sunt habendi.

(10) « Sacerdotes... adsint diebus festis solemnis Missae sacro et Vespera- » rum officio *talari veste et superpelliceo induti...* nec operam suam deside- » rari patiantur in Catechesibus et Sacramentorum administratione ». Synodus Casati cap. XV, n. 2.

(11) Synod. dioeces. n. 18, cap. 15; Concil. Senonense; Synod. Chamber.; Decreta et Monita Episcopi Cuneensis, 1852; Statuta dioeces. Avenion. n. 75.

(12) Loco cit.

(13) « Quia belli quid simile semper habet venatio, cum nec possit esse » venator qui non sit ferarum hostis, sacros Canones debite exequendo, Cle- » ricis quibuscumque quavis dignitate fulgentibus praecipiendo mandavit, » ut sub poena suspensionis ab omni prorsus officio et beneficio anno inte- » gro duratura, venationis animalium quorumcumque praesto ne sint, aut » alio quovis modo se commisceant. » Decret. gener. Ep. Sarsinat. pro provinc. Pedemont. De vita et honestate et habitu Clericorum.

Formidandum quod s. Hieronymus, quem Benedictus XIV, cap. X, de Synodo dioecesana refert, consideraverat: *Esau venator erat quoniam peccator erat. Et penitus non invenimus in Scripturis Sanctis sanctum aliquem venatorem.* Ipse autem sapientissimus Pontifex, post allatas hinc inde hac de re Doctorum sententias, loco citato sic concludit: « Ex quibus omnibus conici- » tur non posse nimiae severitatis nota aspergi synodalem Constitutionem » ablegantem Clericos, praecipue maiorum Ordinum, aut ecclesiasticum pos- » sidentes beneficium, a venationis exercitio. -- Etenim non nisi temere re- » prehenditur Constitutio cui iuris communis sanctiones, et s. Caroli Borro- » maei auctoritas patrocinantur ».

(14) Haec Constitutio non complectitur Sacerdotes qui penes se reciperent mulieres hospitalitatis gratia, dummodo ultra hebdomadam absque Nostra venia non protrahatur hospitium.

(15) Synod. dioeces. n. 16, cap. 15.

(16) Eos tamen qui tali se suspensioni non subiicient, irregulares non fieri declaramus.

(17) De vita et honestate Cleric. cap. 15, Synod. dioeces. Benedicti XIV, lib. 2, cap. 10, n. 3.

(18) « Nec pecunia intercedat in ludo, nec quidquam quod facile pecunia aestimari possit ». (Conc. Med. I, par. 2 de ludis). « Un prêtre, et surtout un » prêtre à charge d'âmes, qui emploierait plus d'une heure ou deux à un jeu » quelconque, ne serait plus excusable devant Dieu. » Synod. Chamber. 1842.

(19) Concil. Mediolan. IV, p. 3.

(20) Synod. dioeces. n. 17, cap. 15. « Clerici Tabernas prorsus evitent, nisi » forte causa necessitatis in itinere constituti ». De vita et honestate Cleric. cap. 15: « Nous défendons sous peine de suspense à encourir *par le seul fait* » et spécialement réservée, à tous les Ecclésiastiques de Notre diocèse, de » boire au cabaret, dans la paroisse, ou dans la ville où ils ont leur domicile » ordinaire, du vin, de la bière ou autre liqueur enivrante quelconque, sauf » les exceptions indiquées ci-après ». Const. Synod. dioeces. Chamber. n. 252.

Idem interdictum sub eadem poena reperitur in Decretis et Monitis pro Dioecesi Cuneensi 1852.

(21) Immortalis Lambertini quum non posset sibi in animum inducere quosdam reperiri inter Clericos suae dioecesis qui nonnullis ab ipso editis decretis recusarent obtemperare, huiusmodi eos verbis petebat: « Novum et inusitatum est tot Sacerdotes reperiri, qui pedibus conterant Episcopi sui mandata, quae haud temere et inconsulto, sed iuxta Ecclesiae disciplinam atque » instituta ab ipso sanciuntur, quamvis etiam iidem Sacerdotes in sacra Ordinatione decretis eiusmodi observantiam polliciti fuerint: *Promittis mihi,* » *et Successoribus meis reverentiam et obedientiam? Promitto.* Equidem P. » Ludovicus a Ponte votum reipsa implicitum illis verbis asseruit, cum Pastori suo promissum illud praebeatur, qui Deum ipsum exhibet, eiusque » personam in terris sustinet, prout videri potest in tractatu de perfecto Sacerdote cap. 12, § 2: Incredibile pene est inter Sacerdotes etiam, qui virtutem excolunt, et se omni prorsus macula immunes existimant, aliquos » non deesse in ea cogitatione solum defixos, ut Pastoris sui iussa quocumque » modo eludant, eaque subdolis, et ineptis rationibus interpretentur tanta » animi quiete et laetitia, quae etiam ex oris serenitate deprehenditur, ita ut » peritissimo Mathematico conferri posse videantur, qui post assiduos labores, » diuturnasque vigilias circuli quadraturam detexerit ». Institut. 102.

(22) Eccl. 32.

(23) Rom. 13, 2 et 17.

Taurini Typ. Marietti 1854.